



FOelix Malleolus Tiguri natus et educatus fuit. Is amore literarū hinc inde ad Academias profectus magnam sibi eruditionem cōparauit, & De cretorum Doctor creatus fuit, Anno Christi circiter 1450. Senferat is iam eo tempore ecclesiam Christi multis superstitionibus contaminatam, atq; plurimū à uetere illa disciplina recessisse. Itaq; apud suos de hīs rebus conquestus, omnes ad uerbi Dei lectionem, tanquam unicam fidei Christianæ regulam adhortatus est. Scripsit etiam multos libros. ut contra Validos mendicantes, cōtra Anachoritas, Beghardos, Beginas syluestres, de Negotio monachorum, de Plebanis & religiosis mendicantibus,

de Nouorum officiorū in Ecclesia institutione, de Oblatis pecunijs pro præbenda, de Anno Iubilæo, de Exorcismis, de Libertate Ecclesiastica, de Contractibus, & contra iniquos iudices, cum multis alijs, eo tempore lectu utilissimis, quibus abundè satis is declarauit, quid perturbato eo seculo quisq; de rebus diuinis cogitare debeat. Itaq; factum ut etiamnum eius scripta legētes plurimū huius uiri eruditionem & parrhisiā admirentur. Gess. in Bib.